

nostra eadem esset cum veterum Musica, & uteremur in vocibus Musicalibus mi, fa, Semitonio minore, tum hoc intervallum ex h in dis debebat esse minus Ditono. Ex h enim ad c est Semitonium, ex c ad d Tonus, ex d ad dis Semitonium. Tonus autem est duo semitonia apud antiquos non constituunt Ditonum, sed deest ipsis comma. At in nostra Musica hoc loco Ditono non solum nihil deest, sed superest, Ergo verum est, nostram Musicam diversam esse à veterum, & nos uti Semitonio majore inter voces Musicales mi & fa in diversis locis, in uno autem eodemq; loco semitonio minore.

Ad oculos accedamus, in Clavichordis in quibus interdum tres claves unam eandemq; chordam pectinibus suis tangunt, attende quanto spatio in eadem chorda distent pectines, qui tonum faciunt & iterum, quantum distent qui semitonia faciunt, & statim videbis pectines majore intervallo distantes exhibere semitonium majus inter voces Musicales mi & fa, qui verò minore intervallo distant, dare Semitonium minus in eadem chorda & in eadem postea linea.

f s

Atq;